



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

In Natiuitate B. Virginis Mariæ Paraphrasin Epistolæ & Exegesin Euangelij,
habes in festo Conceptionis eiusdem Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

T. VI
22

indiscriminatim est in illis qui honestè & qui turpiter amant. Siquidem neutri æquanimiter ferre possunt, vt aliquid dicatur mali de eo quem diligunt, tantum abest, vt aliquid illi mali fiat. Atqui longè præclarior in illis id ternere licet, qui Deum perfectè amant, quorum est hoc summum desiderium, eoquè nocte ac die conantur, vt Deus cognoscatur, laudetur, ametur, honoretur ab omnibus, eius voluntas fiat, eius præcepta seruentur. Nec hoc labore fatigantur: & si videant ab alijs itidem Deum amari & honorari, maximè exhilarantur: si verò contemni cum animaduertant, dolent acerrimè. Possent id multis sanctorum exemplis confirmari, quos admodum cruciauit contemptus Dei, & præcipuè exhilarauit cultus & honor Dei, quem vnice charum habebant. O quam longè absunt à sincero Dei amore, qui consilio vel auxilio suo perdunt animas quas Christus redemit sanguine suo, illiciendo eas ad peccata quibus offenditur Deus: aut qui deliberata ratione siue proprijs, siue alienis delectantur peccatis, qui iactant sese de malis suis. Sed eos missos faciamus. Quintum signum est, quod illi qui perfectè amat, cupit & sese & omnia sua impertiri illi, quem diligit: est illi vna cum eo voluntas: non eum vult contristare, vel offendere: facitque & patitur quicquid potest, ne illum offendant. Id verò maximè proprium est amori diuino, quo quisquis feruet, donat sese & omnia sua Deo ac diuino honori & voluntati, adeo vt mori malit, quod est etiam ad salutem necessarium, quam peccatum aliquod mortiferum, quo grauissimè Deus offenditur, perpetrare. Quanquam perfectus amor non solum mortiferum vitat peccatum sed omne etiam Dei beneplacitum studet exequi. Ita nimirum Baptista Domini Ioannes libentissimè vitam contempsit temporalem ob amorem Christi, malens tyranni iussa contemere, quam Dei. Cuius exemplo nos charissimi instruiamur, nihil nobis Dei voluntate antiquius esse debere. Hominibus placuisse parum prodest: sæpè verò & nocet plurimum. Deum autem offendisse non potest non obesse grauiter. Itaque cum omnibus Dei amicis moriamur vitijs & perturbationibus nostris, atque priuato & vitioso calcato amore, studeamus in nobis augere Christi feruentem amorem, qui quanto in nobis fuerit feruentior, tanto erimus in calis beatiores & Christo coniunctiores, eodem ipso præstante, cui est cum Patre & Spiritu sancto omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Amor communicatius quis dicatur.

IN FESTIUITATE NATIUITATIS GLORIOSISSIMÆ SEMPER VIRGINIS MARIE, Epistolam & Euangelium cum Paraphrasi & Exegetica siquære in festo conceptionis eiusdem.

SERMO I. IN EADEM SOLENNITATE

Quo iure Beata virgo Maria domus Dei dicatur & sit.

Sapient. 7.

Sapientia adificauit sibi domum, excidit columnas septem, Proverbiorum I X. Cum omnium sit artifex sapientia, fratres mei, omnem habens virtutem, per quam omnia etiam consent, vnum tamen operum eius ceteris est

ris est præstantius. Vnum erexit ædificium, quo non modo se, id est, sapientiam, verum etiam virtutem ac benignitatem suam nobis, & id quidem excellentissimè monstravit. Siquidem ædificavit sibi domum non utcumque pulchram, non mediocriter nobilem, sed nobilitate excellenter insignem, excellentia mirabilem, dignitate singularem. Multas sanè construxerat ante domos, nec vlli creaturarum non prouiderat habitaculum, angelis dans cælum (& hæc est domus gloriæ) dæmonibus & hominibus condemnatis infernum (& hæc est domus iustitiæ) bestiis vero pro patria assignauit mundum, quarum tamen, cuius proprium segregans habitandi locum, piscibus dedit æquor, volucris aëra, cæteris ferè omnibus terram. Ex hac bestiarum patriam homini lapsa interim dedit pro pœnitentiæ agenda in carcerem, qui in exilio modo versatur, aliquando transferendus ad alteram domum, videlicet aut angelorum, aut dæmonum, vtram meruerit, cunctis igitur ad hospitia locatis, hoc vnum superfuit, vt sibi quoque, quæ admodum cæteris, pararet domum, quæ cunctis præfulgeret ædificijs, quæ ipse, qui debet inhabitare, omnibus esset præfatiior. Hæc autem domus, quam sibi ab æterno sapientia increata Dei Filius prouidit, & subinde amicis suis sanctis prophetis extruendam prædixit, nunc tandem omni splendore, omni decore consummatam, contuendam cunctis exhibuit, purissima est virgo Maria: quæ non ob hoc solum digna est dici domus Dei, quia eius mentem lux diuina inhabitare nunquam desijt, iterum dico non propterea solum est domus Dei, quod cum cæteræ animæ omnes in habitacula Dei creaturæ vacillauerint, peccando quæ inquinatæ sint, ipsa sola singularissimè electa, & præseruata quietissimum, mundissimum ac impercurabile, atque id iuge Deo præbuerit cordis hospitium (quippe quæ firmissimè extructa septem Spiritus sancti donis, non aliter quam septem columnis fundata, nec labi poterat nec inquinari) Verum etiam & ob hoc maximè, quia in corpore eius, hoc est, in vtero thalami virginalis corporaliter nouem mensibus Deus ipse moratus, de carne eius tegimen sibi carnale, quo diuinitatis velaret naturam, super texit. Hinc non iniuria venit tam præclaræ virgini, vt arca Dei, domus Dei, tabernaculum Dei, templum Dei, thalamus Dei, sacrarium, aula atque ciuitas Dei, & dicatur & sit. Quo etiam nihil mirandum, si suum Deus ipse habitaculum, si suam domum, si suum thalamum extruxerit magnificentius, ornauerit splendidius, exaltauerit gloriosius, quando quidem angelis cælum tam immenso lumine choruscum, & mortalibus tot varietatibus venustatum donauerit mundum. Prædixerat autem iam olim in persona Dauid, quanta foret eandem gloria illustraturus, quando sub typo materialis templi de Maria loquens: domus (inquit) quam ædificari volo, talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur. Cæterùm, quælibet domus censenda est præstare gloria maiori, quæto nobilitate, mundicia, pulchritudine, ornatu, dignitate, vtilitate magis enituerit. Porro, nobilitas tum dicitur domus, cum materia nobili preciosaquæ extructa fuerit. Munda, si absque forde. Pulchra si decenti figura, ordinequæ venustetur. Ornata, si decori schematiue, quod primus indidit artifex, splendor cultusve alius accedat, vtpote aurata seu depicta. Digna verò dicitur, quæto Dominum in se habuerit præstantiorem.

Domus diuersa à Deo constructa.

Quo iure Maria domus Dei dicatur & sit.

Exod. 25.
Genes. 28.

Domum gloriosam efficitur quinq; quæ sint vtq; fuerint in Maria.

T. VII
22

Psal. 92. **Psal. 86.** **Nobilitas B. Mariae quant.** **Tria femina nobilitantia quae sint.** **Matth. 7.** **Mundicia.** **Ornatus.** **Dignitas. Eccle. 64.** **Domus quid sit.** **B. Mariam non solum esse domum Dei, sed etiam nostram.** **Domus refugij hospitumque misericordiae ut sit Maria.**

tiorem. Vtilis tandem dicitur domus, si loco congruo, si quaestuosio fuerit sita, & si multis prosit. His omnibus praeminere noscitur domus haec, quam decet sanctitudo, domus quam fundauit & dedicauit sibi altissimus. Est enim nobilissima, quippe ad cuius aedificationem nihil, quod apud Hebraeos olim redoleret nobilitatem, non confluxerit. Tria sunt, e quibus fit omnis femina nobilior. Ex genere, sponso & prole. Si Mariae genus quaeritur & origo, de parentibus est nobilissimis, videlicet sacerdotali, regio, prophetica, & patriarchali stemmate descendens. At si a sponso nobilitatem quaeritur, Na & inde, ut dixi, mulieres illustrantur) Maria sponsum habet longe nobilissimum, a quo fecundata est, Spiritum sanctum. Porro si a prole, quia arbor ex fructu quoque probatur nobilior, Filium habet non solum caeli terraeque regem, sed quo maior esse non potest, Deum. Est etiam mundissima, profecto omni carens labe, tanta nitens puritate, qua sub Deo maior nequeat intelligi. Pulcherrima est autem omni venustate pollens, elegantissima, dulcis & omnium oculis gratiosa. Ornata praeterea gratiarum & virtutum omnium donis, adeo ut nihil sit decoris, nihil candoris, quod non vel excellentissime fulgeat in ea. Porro dignitatem eius quis explicare, imo quis intellectu comprehendere potest? Quandoquidem, qui creauit eam, requieuit in tabernaculo eius. Natus est ex ea, qui fundauit eam altissimus. Itaque hanc domum sapientia aedificauit sibi. At nunquid & soli sibi? Cuperem & ego familiaris esse domus tam speciosae, tam amena, tam dulcis, tam amabilis, tam denique decorae. Quid ni cuperem? Nempe si desinente Philosopho domus dicitur, quia defendit a caumatibus & pluuijs, iuxta hoc Maria domus est descendens non a caumatibus, hoc est, ab internarum temptationum, ab ignitis diaboli iaculis, & pluuijs, id est, a tribulationum (quae ab extra nobis superueniunt) inundatione, a procellosis, videlicet huius vitae fluctibus, quis iam non praesidium in ea domo sibi exoptet donari, nisi qui propriae nescius miseriae, propriae imbecillitatis, calamitatisque ignarus, sua damna non sentit, opem non petit, dignus plane qui pereat? Est igitur Maria domus Dei, & est nostra. Aedificauit plane sibi eam soli, in qua habitaret, aedificauit verò & nobis, ut nos repararet, tueretur, saluaret. Si quidem propterea factum est nobile hoc aedificium, ut quod de priori opificio Dei erat deformatum, huius adminiculo reformaretur. Angelorum namque creatus numerus permultis cadentibus fuerat minutus: & homine primo lapso, tuta natura infecta iacebat & infirmata. At aedificata est Maria, cuius fructu angelorum ruina repletur, humana natura renouaretur, quae cum Dei foret mater, angelorum esset etiam regina, daemonum hostis & depradatrix, mundi Domina, lapso subleuatrici, desperantium fiducia, inconstantium consolatrix, omnium denique in hoc mari magno inter quascunque temptationum procellas placidissimas naufragantium sinus, & cunctorum quantalibet tribulatione, angustia pressi fuerint, ad se currentium domus refugij hospitumque misericordiae. Ad hanc domum confugiens nemo non saluatur: quicumque enim ad ipsam se receperit, protectionem inueniet aut requiem. Quis enim vnquam auditus est aduersitate, temptatione aut fortuna quantumvis contraria iactatus, cui ad hanc domum misericordiae, cui ad xenodochium pietatis, cui ad Mariam contu-

genti praelusur sit aditus, non adhibita consolatio, negatum subsidium? Quis adeo miser, cui inuocanti se opem non tulerit Maria? Quis adeo ærumnosus, quem ad se respicientem non leuarit Maria? Aut quæ tandem domus locusve alius, quo egeni, exules, impugnati, afflicti, desolati confugiant liberius, recipiantur clementius, requiescant securius, potētius tueantur, dulcius foueantur? Nusquam profecto alibi minus diffidendum, nusquam maiori spe innitendum, quàm Mariæ. Quandoquidem nemo ad eam clamans non exauditur, nemo accedens repellitur, nemo in ipsa sperans decipitur. Cæterum, vt nullo in loco tibi salutis opem defuturum agnoscas, si inter vndarum, i. tentationum tempestates periclitaris. Maria est tibi arca diluuij. Si vero in terra, hoc est, in tranquillo constitutus, & prioris vitæ peccatorum tibi conscius memor fueris, quia vir sanguinum es, atque ideo Dei iustitiam malorum vindicem contendis effugere. Maria vbi te salues tibi data est ciuitas refugij. Adde præterea, quod sicut extra arcam Noe tempore diluuij natantibus nulla erat spes viuendi relicta, ita extra hanc domum, ita extra huius virginis protectionem, quotquot in sinum miserationis eius non recipiuntur, in aquis diluuij, id est, tentationum fluctibus perire necesse est. At verd ciuitatem refugij ipsam idcirco dixerim, quod non modo illis (vt olim sub Moyse figurabatur) qui nolentes sanguinem fuderūt, verum etiam voluntarijs homicidijs, hoc est, vltro peccantibus (quandoquidem *miser cordia Domini plena est terra*) facta sit propugnaculum vitæ, custos salutis & tutissimū (quo à facie iræ Dei fugiatur) immunitatis asyllum. Quam obrem haud profus absurdè tribuitur ei, quod canimus ex Propheta: *Vrbs fortitudinis nostra Sion saluator, ponetur in ea murus, & antemurale*. Hæc autem omnia beatissimæ Mariæ tribuimus, quia & Filius eius vult eam ab eadē matre, & per suam matrem habere, non vt iam euacuatus sit Christus, sed quæ ipse dat, ab ipso expectamus, accipimusq; per suam (vt sic loquar) elemosynariam, cui hæc misericordiæ commisit officia, vult nos eadem recipere.

Liquet postremo ex his omnibus, quæ conueniat Mariam domum dici, quando nec vltima conditio domus (quam huc vsque distulit inuestigandam ei defuerit. Dixeram nanque ad gloriosam pertinere domum inter alias condiciones, esse vtilem multis, aut quæstioso loco sitam. Verè omnibus vtilissima est Maria, nedum multis, loco etiam est maximè congruo sita inter Deum & hominem media, aduocata nostra, quæ iram Dei auertat à nobis, gratiam Dei adducat nobis: promptuarium denique frumenti, cellarium vini & olei, & apotheca omnis medicinalis vnguenti. Domus, in quâ recondidit nobis Deus gratiarum dona, consolationum vnguenta, aromata virtutum, cunctorumq; pariter morborum medicamina: vt quicquid nobis defuerit, quicquid necessarium extiterit, inde hauriamus, adeo vt etiam in hac vita cum Psalmista Christo verè de hac domo dicamus: *Implebitur bonis domus tua*. At quid dixerim implebitur, cum significantius scriptum sit, *Replebitur*, hoc est, non semel tantum, sed iterum atque iterum, vt in peccando exinanimur, ita penitendo gratiarum donis per Mariam replebitur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

Genes. 6.

1. Reg. 16.

Genes. 7.
Arca diluuij
cur vocetur
B. Maria.Cur dicatur
ciuitas refu-
gij.
Num. 37.

Psalm. 118.

Esai. 16.

Cur hæc om-
nia tribuatur
B. Mariæ.

Psalm. 64.

T. VI
22

IOAN. LANSP. CARTHVS. SERMONES
SERMO II. IN EADEM SOLENNITATE.

Quantis præconijs extollenda sit beatissima Dei genitrix virgo Maria: quibusque magno gaudio fuerit illius purissima sanctissimaque Natiuitas.

Noua lux oriri visa est, gaudium, honor atque tripudium apud omnes populos, Hester VIII. Non est facultatis humanæ dilectissimi fratres, quamdiu in hoc mortali corpore viuatur, plenè perungere posse ad laudem gloriosæ virginis matris Dei quæ omnium hominum & voces excelsit, & superat intellectum. Quis enim mortalium, nisi diuino illustratus oraculo, de vnica Dei & hominis genitrice quicquam modicum vel grande præsumat edere? imo quis non timeat hanc pollutis labijs nominare, quam Pater misericordiarum, & ante secula Deus perpetuam destinauit in virginem, dignissimam filius prælegit in matrem, Spiritus sanctus nouæ gracie præparauit in domicilium? Quibus laudibus seruitus hominem effert reginam angelorum? quæ præconia dilatat mortalis angustia, vel officia subministret, cui exlestia parent & famulantur obsequia? Et quamuis nec dignè, nec sufficienter laudare possimus admirandam Dei genitricem, sanctissimam virginem, non tamen omnino est abstinendum à laudibus, præsertim cum scriptum sit. *Sacrificium (inquit Dominus) laudi honorificabit me, & illiciter, quo ostendam illi salutem Dei.* Si ergo laus Dei est iter ad visionem Dei, in qua consistit æterna felicitas, imò si laus Dei est exercitium beatorum in patria, secundum illud, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te, sequitur quod laus Dei est quedam figura, vel præguftatio, vel initium æternæ felicitatis in via. Quomodo autem implere possumus, quod nobis præcipitur, Laudate Dominum secundum multitudinem magnitudinis eius, si non quod nobis facilius est, laudauerimus eum in sanctis eius, & maximè in matre eius? Et quamuis scriptum sit, quod non sit speciosa laus in ore peccatoris, hoc est, quod illorum laus non sit accepta, quorum vita D. o est contraria, tamen qui seipsos peccatores agnoscunt & dolent, qui seipsos humiliant & deprimunt, Deum verò in se, vel in sanctis suis exaltant, honorant & prædicant, hoc ipso veniam merentur & gratiam. Et ideo charissimi inuocemus beatissimam virginem de qua iam loqui, & quam laudare cupimus, vt gratiam nobis impetret à Deo, nobis loquendi vobis audiendi ea quæ spectant ad Dei gloriam & suum honorem, dicentes: *Noua lux oriri visa est, &c.* Charissimi fratres hæc verba habentur in libro Hester secundum literalem sensum de Iudæis: qui erant in regno Assueri regis Medorum & Persarum, super quos data fuerat sententia, vt omnes certo die interficerentur. Sed regina Hester intercedente apud regem & impetrante Iudæis salutem sententia mortis in eos lata, reuocata est, & in magnum honorem & gratiam regis Iudæi recepti sunt. Quapropter ipsis secundum verba prædicta, *Noua lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium apud omnes populos: quia quodammodo à morte ad vitam reuocati sunt.* Hoc breuiter sit dictum de literalis sensu, quam qui scire plenius voluerit, legat totum librum Hester. Mystice autem non inconuenienter applicatur ortui beatissimæ virginis, cuius figuram Hester regina tenuit: quæ scilicet*

Mariam Dei matrem nemine in posse dignè laudare.

Psal. 49.

Laudare Deum quem sit actus nobilissimus. Psalm. 150.

Eccle. 5.

Hester 8.

Hester quina signet bea-

cet vir-

cet virgo Maria impetrauit, & impetrat nobis quotidie vitam gratiæ, qua
 etiam mediante abolita est sententia æternæ mortis promulgata in omnes
 filios Adam propter peccatum primorum parentum nostrorum, ita vt per
 natiuitatem eius, quæ foret nostræ salutis procuratrix, merito quasi noua
 nobis lux oriri visa sit: quapropter gaudium honor & tripudium apud
 omnes populos. In istis autem verbis duo nobis insinuantur: Primum est
 nascentis virginis sanctitas dum dicitur: Noua lux oriri visa est: Secundum,
 natiuitatis iucunditas vbi subiungitur gaudium & honor atque tripudium.
 Primo innuitur nobis sanctitas, siue puritas virginis Mariæ per hoc, quod
 comparatur luci, licet enim omnes qui sunt in gratia Dei, lucis nomine ap-
 pellentur, (sicut Dominus dicit: *Vos estis lux mundi.* Et in libro Prouerborum:
Lustorum semita quasi lux splendens procedit & creescit vsque ad perfectum diem) ta-
 men beata Maria excellentiori modo lucis nomine demonstratur: quæ sua
 claritate omnes præcellit, ita vt etiam ipsi non inconuenienter adscribatur
 illud libri Sapientiæ: *Candor est lucis æterna & speculum sine macula.* Splendor
 enim dicitur quantum ad puritatem mentis, & speculum sine macula, quan-
 tum ad honestatem carnis. Tanta enim erat honestas illius luminosi specu-
 li, vt non solum in se immaculata foret, sed etiam ab omnibus inspicienti-
 bus expelleret omnes motus inhonestos, ita vt nemo vnquam intuentium
 pulchritudinem honestissimam & decentissimam virginis Mariæ, potuerit
 scandalizari ad iniquè vel turpe aliquid cogitandum vel concupiscendum,
 sed radius virginalis castitatis eius, & excellentissimæ sanctitatis omnium,
 intuentium corda casta efficiebat. Vnde & Ioseph beatissimus quanto plus
 & familiaris cum ea loquebatur & conuersabatur, tanto castior efficieba-
 tur. Et piè credendum est hoc non solum de castitate, sed de omni etiam
 virtute, ita vt etiam nemo erga eam illicitos motus habuerit intuens eam,
 scilicet displicentiæ, inuidiæ, iræ, &c. Rectè autem comparatur luci multi-
 plici ex causa: Primo quia sicut lux in substantia sua puritatem habet, ita
 beata virgo omnimodam puritatem habuit semper: & id quidem excel-
 lentissimè, quia in utero matris suæ fuit ab omni macula & ruga præseruata
 peccati, in primo scilicet instanti suæ conceptionis. Et non solum fuit (si-
 cut Bernardus dicit) ante sancta quam nata, sed præ omnibus alijs sanctis
 sancta, præter & citra Christum, præ omnibus alijs gratia præuenta, & sic
 sancta, quod nunquam peccare potuit mortaliter aut venialiter, quia ita
 confirmata est, vt non possit ruere in aliquod peccatum. Legitur de Hiere-
 mia & de sancto Ioanne Baptista, quod fuerint sanctificati in utero ma-
 terni sed longè maior fuit sanctitas beatæ Mariæ. Nam sanctus Ioannes &
 Hieremias fuerunt ita sanctificati, quia fuerunt purgati à culpa originali: ac-
 ceperunt quoque gratiam Dei tam efficacem, quod confirmati in hac gra-
 tia, non potuerunt peccare mortaliter. Beata autem Maria sic fuit sancta,
 non quod purgata fuerit: à culpa, quia non habuit culpam, sed sancta fuit,
 hoc est, maiori inundatione perfusa diuinæ gratiæ, & adeo cõfirmata, quod
 nec mortaliter nec venialiter potuit vnquam peccare. Vnde dicit sanctus
 Bernardus: Puto quod gratia copiosior sanctitatis in ipsam descendit quia
 non solum ipsius ortum, sed omnem eius sanctificauit vitam, vt deinceps
 esset immunis ab omni peccato, quod nulli inter natos mulierum creditur
 datum.

tam Mariam
 Dei matrem.

Rom. 5.

Matth. 5.
Prouer. 4.

Luci vt com-
paretur virgo
Maria.

Sapient. 7.
Honestas B.
Mariæ quan-
ta fuerit.

Motus vitio-
rum vti B. Ma-
ria in alijs
signauerit.

Luci vii com-
paretur beata
Maria.

Bernard.

Hierem. 1.
Lucæ 1.

Bernard.

T. VI
22

Pronep. 4. datum. Nam de omnibus nobis legitur: *Septies in die cadit iustus*. De ea verd
 in Cantico scribitur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Et fan-
 ctus Hieronymus: Quicquid in Maria gestum est, totum sanctitas & puritas
 est. Et Anselmus: Decuit vt Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo nequit
 maior intelligi. Et Bernardus: Tanta eius mentis & corporis fuit puritas,
 vt ei non audeat se comparare angelica dignitas. Et propterea non solum
 dicitur lux, sed etiam noua lux, quia nec priorem visa est habere similem in
 puris creaturis, nec sequentem. Idcirco Salomon in spiritu eam prouidens,
 admiratus est eius puritatem & claritatem dicens: *Qua est ista, que progreditur
 quasi aurora conlygens pulchra vt luna, electa vt sol?* Secundo B. Maria conueni-
 enter comparatur luci: quia sicut lux omnibus se communicat, & mox re-
 oritur vbi que se diffundit per totum orbem, sic beatissima virgo plena gra-
 tiarum & misericordiarum omnibus beneficia sua impartitur, & se ad sub-
 ueniendum eis exhibet semper paratam. Vnde in libro Sapientiae de ea dicitur:
Præoccupat eos qui se concupiscunt, vt se prior illis ostendat. Et in Ecclesiastico,
 Ipsa clamat: *Ego mater pulchra dilectionis, & timoris & agnitionis, & sanctæ fidei*.
Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini, &c.
 Bernardus. Vnde ad beatam hanc virginem dicit D. Bernardus: Sileat misericordiam
 virgo beata, si quis te inuocatam in necessitatibus suis sensit sibi defuisse. Non
 est autem mirum beatam virginem totam affluere & effluere misericordia
 & pietate: quia ipsa virgo beatissima summè communicauit proprietate di-
 uinæ misericordiae præ omnibus alijs creaturis, eo quod est Deo proxima
 præ omnibus, & coniunctissima. Vnde sicut propter peccatores Deus homo
 factus est, ita propter eosdem B. Maria mater Dei facta est. Ergo sicut, testis
 Psalmista: *Suaui Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*: &
 sicut canitur in Collecta, Deo proprium est misereri semper & parcere: sic
 beatæ virginis proprium est officium: quod sit regina misericordiae & pietatis
 mater, in qua Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, fons pie-
 tatis infinitæ requieuit, & ipsi virgini Mariæ diuinæ bonitatis pietatem co-
 municauit. Vnde Bernardus de hac in sermone quodam ait: Quid mirum si
 pietatem exhibent viscera Mariæ? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit
 dimidia die, reliqua diei parte pomum seruabit odorem? Quantum ergo visce-
 ra illius virginis virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit
 ipsa pietas? Ex iterum idem Bernardus: O maximè pia, o multum admirabi-
 lis Maria: tu nec nominari potes, quin statim accèdas, nec cogitari, quin sta-
 tim recrees affectus diligentium te. Et quid dicit antiquus Doctor Origenes?
 Scio, inquit, quod si beata virgo pulsata fuerit, necessitati nunquam deerit,
 misericors enim est, & plena gratia. Et ideo continere se non poterit, quin
 misereatur inuocanti. Quare? Quia Dominus noster Iesus Christus in cruce
 moriens, & testamentum condens, nos omnes beatæ virginis legauit in filios,
 & ipsi mandauit, vt esset mater & adiutrix nostra, quando dixit ei de Ioan-
 ne, & non solum de Ioanne sed de omnibus nobis Christianis sub persona
 Ioannis figuratis, *Mulier ecce filius tuus, scilicet quem custodias, dirigas, iun-
 &c.* Et Ioanni, ac cui libet nostrum. *Ecce mater, inquit Christus, tua, quâ ve-
 nereris, diligas, cui obedias, ad quam confugias, cui necessitatem tuam expo-
 nas, & à qua auxilium postules, expectes, & accipias.* De hoc admodum con-
 solatio.

B. Maria vt
omnibus se
inuocantibus
subueniat.
Sapient. 9.
Eccle. 24.

B. Maria cur
sit adeo mis-
ericors erga
miseros pec-
catores.

Psal. 144.

Reginam ef-
se misericor-
diæ & pietatis
matrem
cur proprium
sit B. Mariæ.
Bernardus.

Origenes.

Ioan. 19.

solatoriè loquitur S. Bernardus, dicens: O verbum omni acceptione dignū. Si enim Maria est mater nostra, ergo Iesus est frater noster, ergo & Pater eius caelestis est Pater noster. Ergo regnum eius est hæreditas nostra: quia filij, ergo & hæredes. Sed ad propositum revertamur de Maria. Ipsa communicat omnibus suam pietatem, nulli denegat miseracionem, nulli inuocanti se nõ præstat auxilium, præsertim cum omnia habeat, quæ necessaria sunt ad mediatricem vel exoratricem quia potest iuuare nos, scit quomodo iuuare nos debeat, & vult nos iuuare. De his iterum S. Bernardus: Non deest, inquit, Maria potestas, quia mater est omnipotentiæ: nec impetrandi industria, quia mater est sapientiæ: nec voluntas, quia mater est misericordiæ. Ergo cū ipsa scit, potest & vult, & non solum vult, sed etiam desiderat nos iuuare, nobis benefacere: cur ergo timemus, vel negligimus accedere ad thronum gratiæ eius, cum S. Augustinus etiam dicat: Scio me non posse, nisi spontè velim, scilicet, per propriam negligentiam, perire præ pietate Mariæ, cum ipsa sit humillima, benevolentissima, patientissima, liberalissima, gratiosissima & promptissima, quæ neminem spernit, quæ omnes suscipit. Vnde S. Bernardus. Reuolue diligentius historiæ euangelicæ seriem, & si quid increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam eam habeas, & accedere verearis. Cõsidera diligenter, & si verè plena omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis & misericordiæ, quæ ad Mariam pertinent inueneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissimam miseracione prouidit. Denique omnia omnibus facta est, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis cõsolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angeli læticiam denique trinitas gloriam, filij persona carnis substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius. Si Paulus pro omnibus gerit solitudinē, sicut mater pro filijs, dicens: *Filioli mei, quos iterum parturo, donec formetur Christus in vobis.* Et alibi scribit Philippensibus, quomodo eos habeat in corde suo. Et ad Corinthios ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis si aedaliatur, & ego non vior? Quomodo Maria, quæ quodammodo tota versã est in misericordiam, non omnium miserabitur? Ideo exclamat S. Anselmus dicens: Felix Maria: tu peccatorem toti mundo despectum mater nõ affectu amplecteris, nec deseris quousque Deus per te placatus, ipsum gratiæ suæ reformãrit. Et iterum: O dulcissima & beatissima virgo Maria, sicut omnis peccator à te auersus & à te despectus necesse est vt intereat, ita omnis peccator ad te conuersus & à te respectus, impossibile est vt pereat. O quã multa essent exẽpla dicenda, quot peccatores erepti sint & quotidie eripiãtur per Mariã de faucibus inferni. Et reuera iam mūdus diu interisset propter peccata hominũ nisi eũ Maria precibus sustentaret. Vnde Fulgẽtius. Diu, inquit, cælũ & terra ruisissent, si nõ Maria precibus sustentasset. Tertio, sicut lux omnia clarificat sua pulchritudine, eo gressu (dicẽte Ambrosio) efficiat vt cuncta visibilia appareant pulchra & laude digna: ita B. virgo Maria sua illustratione facit opera nostra conspectui Dei grata. Vnde consultius est, opera nostra Deo offerre per manus Mariæ, si ea volumus esse accepta quia etiã vilia & exigua in se sunt, tamẽ propter offerentis dignitatem, scilicet Mariæ accepta erunt. Plurimum etiam*

Bernardus.
Rom. 1.
B. Maria vti omnibus cõmunicet pietatis officia.

Bernardus.
August.

Bernardus.
B. Maria vti omnibus omnia facta sit.
Ioan. 1.
Psalm. 117.

Galat. 4.
Phil. 1.
2. Cor. 11.

Anselmus.
idem.

B. Mariã suis precibus sustentare totũ mundum.
Fulgẽtius.

Ambros.
Opera nostra per manus B. Mariæ Deo offerenda.



T. VI
22

prodest opera nostra eius meritis & operibus sanctis vnire, vt à Deo recipiantur. Sicut enim aqua modica oblata regi, non recipitur nec potatur à rege, sed infusa & mixta vino fit quasi vinum, & sic bene potatur: ita opera nostra sunt aqua, merita beatæ virginis vinum, quibus si coniungantur, magnam habent gratiam apud Deum. Quarto, sicut mediante luce cernimus, per quam viam incedere debeamus, & discernimus bonum à malo: sic mediante virgine benedicta cognoscimus, quo itinere ad æternam vitam pergamus. Vnde etiam ex interpretatione nominis eius, dicitur stella maris, vel illuminatrix. Ipsius etenim sanctissima vita est nobis stella, secundum quam dirigimur vel instruimur in hac vita: sicut nauæ dirigunt se, vel regunt & cognoscunt viam secundum stellam maris. Item vita eius est regula beatæ vitæ, & via lucida ad æternam felicitatem. Quinto, quia sicut lux est delectabilis ad videndum, & lætum hominem reddit, iuxta illud Ecclesiastici: *dulce est lumen, & delectabile oculis videre solem*: ita videre, imo etiam cogitare beatam virginem est dulce & iucundum, ô quam dulce, ô quam delectabile, ô quam desiderabile fuit S. Ioseph, S. Ioanni, & cæteris, qui familiariter vixere cum Maria, videre eam, in qua nulla macula, in cuius moribus nulla inhonestas, in cuius conuersatione nihil reprehensibile, sed gratiosa omnia, iucunda omnia, omnia sancta, omnia miranda, omnia munda, & ipsa dulcissima & pulcherrima fuit. O quam felices, qui meruerunt cum ea adhuc viuente in terris conuersari, eius pulchritudinem contemplari, ipsius vitam imitari, eius colloquijs recreari, eius moribus informari. Hoc sciebat S. Dionysius, qui multum institit apud D. Paulum, vt liceret ipsi pergere Hierosolymam, & apud D. Ioannem, vt admitteretur videre beatam Mariam, dum per quandam fenestellam quasi occultè eam vidisset in oratione positam, & splendoribus diuinis rutilantem obstupescens dixit ad Ioannem: ô quam felix es tu qui paradysum habes in terris. Quam igitur iucundum, quam delectabile est eam videre modo gloriosam in cælis? Et hætenus quidem dictum sit satis de virginis huius sanctitate. Quod verbò ad natiuitatis eius iucunditatem attinet, pro ea facit autoritas irrefragabilis Ecclesiæ, quæ canit hodie: Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annunciat vniuerso mundo. Ex te, enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem donauit nobis vitam sempiternam. Vbi notandum venit, quod natiuitas Mariæ gaudium attulit. Primo beatæ Trinitati, quia per totum mundum glorificatur & laudatur sancta Trinitas in Maria, vt testatur eximius beatæ virginis amator Bernardus dicens: Gaudet Deus Pater, quia hodie nata est sponsa ab æterno prædilecta, gaudet Filius, quia ei nata est mater, in qua humanam assumendo naturam delitiæ sunt sibi esse cum filijs hominum. Denique gaudet Spiritus sanctus, quia sibi nascitur habitaculum & templum gloriæ acceptissimum, per quod innumeras animas hominum lucrebitur maximè desperatorum, obstinatorum, & eorum qui alias nullo genere conuersionis possunt attrahi ad bonum. Secundo, hoc festum vel natiuitas gaudio est ipsi virgini Mariæ, quia nata est in maxima & suprema benedictione inter omnes puras creaturas. Nam maledictio primorum parentum non attigit eam: quandoquidem quando ipsa nascebatur, non erat ho-

B. Maria cur vocetur stella maris.

Eccl. 6. B. Mariæ visio quomodo vtrumq; vitiosum adficiat.

S. Dionysij cupido videndi B. Mariam vnde.

Natiuitas B. Mariæ quibus gaudij attulerit. Bernard.

Prouer. 8.

Psal. 20.

rat homo in toto mundo, qui esset sine peccato. Ipsa sola præuenta in benedictionibus Domini, pura, lucida, gratia omni & virtute plena, immunis fuit ab omni peccato. Ipsa erat quasi stella splendida & matutina in medio nebulae, hoc est, aliorum hominum obscurorum. Vnde Augustinus: Cum de peccatis, inquit, agitur, nullam de matre Domini propter reuerentiam Domini, volo fieri quæstionem. Hoc ipsa infantula sciebat, quanta scilicet fecit illi Deus: quia habebat vsum rationis etiam in utero existens. Tertio, gaudium fuit patriarchis & sanctis patribus in limbo, quia nata est quæ fieret mater Dei, regina cæli, domina angelorum, aduocata peccatorum, imperatrix omnium quæ in cælo & in terra sunt, proxima post Deum, suprema super omnes, per quam vel qua mediante ipsi liberandi essent de captiuitate inferni. Piè etenim credi potest, natiuitatem virginis Mariæ, quæ erat filia eorum, illis fuisse reuelatam pro consolatione eorum: sicut eius natiuitas ipsius parentibus Ioachim & Annæ fuit prænunciata in terris. Quarto, fuit iucunda angelis: quia nata erat per quam angelicæ ruinæ restaurarentur. Posteaquam diabolus cum multis sibi adherentibus de cælo eiectus fuit, multæ sedes vacabant, quæ hominibus sanctis ad cælum assumendis replendæ erant: sed iam quinque millia annorum transierant & necdum aliquis ascenderat, donec illa virgo nata esset, quæ pareret eum, qui cælum aperiret, & viam faceret. Item vsque ad illud tempus angeli habuerunt regem Deum, qui est ab æterno, sed non habuerunt reginam: hodie nata est eis regina & domina: quæ res magnum eis attulit gaudium & celebritatem. Quinto, fuit gaudium magnum eius parentibus, quia cernebant adimpletum, quod eis erat per angelum prænunciatum & promissum. Gaudebant, quia de opprobrio sterilitatis erant liberati: gaudebant, quia poterant accedere ad templum, & sua munera cum alijs offerre: gaudebant, quod tam mirabili dono essent ditati. Non est maius donum & charius, quam proles, quam parentes diligunt plus quam seipsos. Sed quantopere gaudendum fuit de tali prole? O sancti Ioachim & Anna gaudete, gaudete inquam & nolite cessare à gaudio: quia in semine vestro benedicentur omnes gentes: in semine vestro saluabuntur & quæ in terris, & quæ in inferno sunt. Non sit vobis curæ, quia nata est filia potius quam filius. Nam hæc filia melior erit vobis & gloriosior, quam centum filij. Ipsa erit mater omnium saluandorum, & multitudo filiorum eius spiritualium vincet numerum stellarum cæli. Sexto, natiuitas eius gaudio est omnibus hominibus. Multi inveniuntur homines, qui nullam deuotionem, nullum affectum habeant ad Deum, & adeo sint obcecati in peccatis, vt si possibile esset, vellent non esse Deum, ne peccata eorum puniret, sicquæ haberent peccandi licentiam & impunitatem. O quo: talium sunt. Verum, vix aliquis inuenitur adeo durus (nisi totus versus sit in diabolum) vel adeo impius, qui noller natam fuisse & iam esse pijsimam virginem Mariam: vix inuenitur tantus peccator, quin aliquo pio sit affectu & fauore præditus erga matrem misericordiæ. Merito ergo omnes gaudere debent, quia orta est cæcis & qui in tenebris sunt lux, infirmis medicina, ignorantibus doctrina, aberrantibus via, peccatoribus venia, desperatis confidentia, desolatis lætitia, angelis regina, exulibus patria, reis aduocata, afflictis & miseris consolatio, & subsidium,

cccc omni-

B Maria vti
patria rehis
atulerit gau-
dium eptis-
que sanctis.

Natiuitas B.
Mariæ vti pa-
tribus in lim-
bo fuerit re-
uelata.

Natiuitas B.
Mariæ vti fac-
tit angelis
gaudio.

Natiuitas B.
Mariæ vti eius
parces gau-
dio magno
perfuderit.

Gen. 12. 15.

Natiuitas B.
Mariæ vti sit
gaudio o-
mnibus ho-
minibus.

T. VI
22

omnibus saluandis ianua celi, & totius mundi domina. Quæ vtiq; sua meritis & precibus efficacissimis nos suo commendat Filio, qui cum Patre & Spiritu sancto viuít & regnat per secula, Amen.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS,
Epistola Beati Pauli Apostoli, ad Galatas ca-
píte V. & VI.

Galat. 5.

Gal. 6.

Fratres, Confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque est ille. Ego autem fratres si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis. Quinam & abscindantur, qui vos conturbant. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patientur. Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

Quidam pseudoapostoli Galatis persuaserant, non posse eos saluos fieri, nisi iuxta legem Mosis circumciderentur. Quæ res non mediocriter illis obfuit. Itaque Apostolus præter sancti Spiritus mirabilem gratiam, etiam magno vsus est studio ad reuocandos illos ab errore, in quem per impios quosdam seducti erant. Ait ergo: Fratres, equidem ita de vobis mihi polliceor, nisi me fallunt omnia, planeque confido in Domino, qui facile poterit veritatis notitiam vobis restituere, quod nihil aliud sapietis, neque sentietis, præterquam quod à me vobis annunciatum est. Qui autem conturbat vos nouitate doctrinæ, atque in aliud ab his quæ didicistis ex me, traducere vos conatur, portabit iudicium diuinæ vltionis, temporarium quidem, si resipuerit, æternum verò, si obstinato animo in errore perstiterit, qualis qualis demum sit ille. Obiter hic notandum, Ecclesiam nouis dogmatibus, id est, hæresibus perturbari. Talium namque fabricatores pleni sunt spiritu tartarico, qui cum sit ab vno summo Deo totus auersus, non nisi perturbaciones & scandala excitare potest. Deus autem non est dissensionis, sed pacis autor. Fugiamus ergo eos, qui Ecclesiæ pacem & unitatem lacerant, certi eos non duci spiritu Christi, qui non dissipare venit, sed congregare in vnum filios Dei, qui dispersi erant. Qui cum rogaretur à quodam, ut diceret fratri illius, diuideret cum ipso hæreditatem, noluit, sed ait: Quis me constituit iudicem super vos: tanquam diceret: Ego colligere veni, & tu me ad diuisionem hortaris? Ego autem, ait consequenter Apostolus, si circumcisionem patribus vsque ad tempus certis ex causis tradidam, etiamnum velut necessariam ad obtinendam vitam æternam prædico, ut falsi quidam vobis persuadent, cur me adeo Iudæi ipsi persequuntur? Qui-

Ecclesia cur per nouas hereses turbetur.

1. Cor. 14.

Ioan. 12.

Luc. 11.